

zoico Part. I. Lib. III. Cap. I. per tot. p. 711. sqq. edit. Lugdun. Batav. an. 1692. D. Majum in Histor. Animal. Part. II. cap. I. tot. p. 629. sqq. & B. Noldii Concordant. Partic. Notâ 940. p. 74. 614. sq.

### THESIS III.

*Vox כפיר* haudquaquam notat Leunculum staturâ parvum, viribusque imbellem. Neque *כפיר אריות* significat Leunculum inter adultos. Sed sicuti *כפיר* Leonem juvenem perfectæ magnitudinis, ac integrarum virium, adeoque atrocem ac truculentum, designat; ita *כפיר אריות* sistit Leonem juvenem ferocem Leonum, sive Leonem juvenem maximè ferocem.

Ἐπεὶ

§. I.

**T**hesis hæcce opposita est iniquis *Observatoris Hallensis* machinis, quippe qui per *כפיר אריות* innui existimat Leunculum parvum, vix ablactatum, infirmi roboris, adeò ut respectu Leonum adultorum statura poluerit planè exigua. Præposteram hanc ejus mentem in Solis disco illa collocant verba, quæ supra allegavi *th. II. §. III.* ubi *כפיר אריות* reddiderat: *Leonem juvenem Leonum, ein kleiner junger Leue der erstlich von den Brüsten seiner Mutter kommen/ & mox כפיר* ipsi dicebatur: *juvenis Leo, vel Leunculus, ein kleiner junger Leue/ der erstlich vom Saugen kommen.* Imò data opera observare didicit regulam: *Bis aut ter, quod pulchrum est; Hinc eodem §. 2. p. 177. tertia vice inculcare satagit, quod dicatur disertè; Leonem illum, qui Simsoni ad nuptias eunti, obviam in via processerit, fuisse Leunculum, & quidem כפיר אריות leunculum inter adultos, ein kleiner junger Leue/ der unter denen אריות oder grossen erwachsenen Leuen nur noch als ein kleiner purtzenello gewesen.* §. II.